Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1209

Quelle:
Copyright:

dicium alterius vel dispendium ageretur, gratum nobis existeret et acceptum et universis deum timentibus, sicut credimus, conplaceret; cum ad hoc sapiencia dei duorum censuram gladiorum statuerit, ut, dum alter alteri cobereret, iniquorum maliciam districtio unius compesceret et contempnentes alterius potentia refrenaret. Quod nos piis, sicut conuenit, affectibus intuentes ab ipsis promotionis nostre initiis firmum concepimus propositum et tenemus inter ecclesiam et imperium, si per tuam serenitatem non steterit, pacem perpetuam et concordiam reformare, et, salua conscientia loquimur, nequaquam occasionem quesiuimus vel querimus ab hoc proposito desistendi. Sane imperiales apices ea, qua decuit, benignitate suscepimus, eorumque serie plenius intellecta, ut tue celsitudini de nostra conscientia certius innotescat, serenitati tue per singula duximus capitula respondendum. Recolimus siquidem, nec sine multimoda commendatione referimus, quod in promotione uestra pacem ecclesiae tua excellentia persecuta debita reuerentia et deuotione suscepit, quod circa nos manus domini uoluit operari, attendens, sicut credimus, quod sicut princeps es ex diuina institutione Katholicus; ita in ecclesia domini reuereri et seruare debeas catholicam unitatem. Post quod fatemur nos a tua magnitudine per litteras et nuncios accepisse, quod patrimonium ecclesie, sicut ad tuum spectat officium, sub tua uolebas protectione recipere, et ad hoc, si in nostre consisteret beneplacito uoluntatis, H. illustrem regem tue excellentie filium destinare. Bona utique et commendanda promissio, si debita efficatia compleretur; sed quod sine ammiratione non ferimus, res in contrarium uisa (uersa) est. Cum idem illustris filius tuus non ad defensionem terre nostre, sed oppressionem uideatur intendere, et a ciuitatibus et aliis locis, que nostre jurisdictionis existunt, narnia uidelicet et byterbo, perusio et quibusdam aliis fodrum et alia indebita seruitia exigat, et quibusdam denegantibus, quod postulat, pro sue uoluntatis arbitrio comminetur. Placuit igitur promissio, placuit et affectus, et quia contrarius effectus extitit, graue gerimus, nec tue credimus excellentie conuenire. Quod autem nouarienses a Christi corpore, quod est ecclesia, pro culpa sua seperatos tua serenitas deuitauit, debita commendatione prosequimur, nec aliter saluti et honori tuo, qui uniuersos extollentes se aduersus deum et ecclesiam suam accepta debes potestate reprimere, et statuta ecclesiastica firmiter obseruare, congrue prouidisses. Ex eo uero, quod nobis super facto cremonensi intimasti, eo grauius ammiramur, quo affectum tuum ad hoc cognoscimus aliena forte suggestione inductum, ut pro bis, que gratie debes prosequi actione, concepisse in contrarium uidearis. Nam cum Cremonenses ipsi sepius ad nostram accessissent presentiam, humiliter postulantes, ut eos sub protectione sedis apostolice